

## Franckesche Stiftungen zu Halle

### **Considerationes Modestae & pacificae Controversiarum De Justificatione, Purgatorio, Invocatione Sanctorum, Christi mediatore, & Euchariastia**

**Forbes, William**

**Helmstadii, A. MDCCIV.**

**VD18 11391456**

Caput. VI. Quo objectionibus quibusdam occurritur, & haec disquisitio  
concluditur.

---

#### **Nutzungsbedingungen**

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

#### **Terms of use**

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle ([studienzentrum@francke-halle.de](mailto:studienzentrum@francke-halle.de))

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-219598)

tres, Christi iustitiam nobis imputari : *Et quidem*, inquit, de iustitia, *i. e. merito & satisfactio-  
ne Christi*, nobis imputata, *h. e. nobis*, ac si propria  
esset, attributa, scripturae satis aperte loquuntur : per  
eam enim iustitiam, *i. e. meritum & intercessionem  
sanguinis Christi*, peccata nobis remittuntur, id est,  
non imputantur. Hoc observatum volo, propter  
nuperum quendam scriptorem, qui inter alios  
Romanenses, existimantes, iustitiam Christi  
per modum etiam causae formalis nostrae iusti-  
ficationis nobis imputari, Cassandrum etiam re-  
censet, hoc loco citato. Sed manum de tabula,

## CAPUT. VI.

*Quo objectionibus quibusdam occurritur,  
& haec disquisitio concluditur.*

I. **O**bjicitur, juxta hanc sententiam duas  
formales justificationis nostrae causas sta-  
tui; quod absurdum videtur. Re-  
spondemus solide, missis vanis Bel-  
larmini aliorumque Romanensium effugiis, ad  
Concilii trid. can. 7. *unicam tantum esse causam  
formalem justificationis nostrae, iustitiam sc. nobis  
infusam*, falso, neque etiam constanter satis pro-  
nunciantis, auctoritatem statuminandam, &  
sartam tectam conservandam excogitatis, re-  
spondemus, inquam, *justificationem esse ens u-  
num aggregatione, & ex duobus compositum, quae  
necessaria conjunctione & coordinatione unum  
tantum*

tantum sunt : (Pag. 85.) proinde nihil esse absurdum, si in rebus etiam diversis illius essentiam constituamus. Suarez, jesuita non ignobilis, multum sudans & misere sese torquens in explicanda & defendenda unica illa a Concilio trident. definita causa formali justificationis, de Gratia l. 7. cap. II. n. 24. *Ad primum inconueniens, inquit, concedo, intervenire in justificatione impii duos effectus gratiae quasi partiales, unum positivum, & alium privativum. Ex utroque autem coalescit integra iustitia & sanctitas, a qua homo habet, ut sit & nominetur simpliciter iustus & sanctus. Neque est inconueniens, in una iustificatione includi plures gratias quasi partiales, cum ipsa iustitia integra in quadam collectione consistat, & quot sunt virtutes, ex quibus consurgit, tot sint gratiae positivae partiales.* Verba haec multo melius responsioni nostrae firmandae accommodari possunt. Sed multi, etiam rigidiores Protestantes, duas statuunt justificationis nostrae partes, (ac proinde causam iustificationis formalem duplicem) *remissionem peccatorum, & iustitiae Christi imputationem*, & diversos his partibus effectus attribuunt, ut ex illorum scriptis constat. Vide Bezam, Zanchium, Polanum, Synopsis purioris theol. disp. de Justif. pag. 436. th. 8. aliosque plurimos. Protestantes alii, qui *remissionem peccatorum & imputationem iustitiae*, immo *imputationem etiam iustitiae Christi*, id est, quam Christus sua obedientia nobis acquisivit, (nam de imputatione iustitiae Christi, an sc. & quatenus admittenda sit, inter-

Protestantes ipsos contenditur, ut supra hac de re diximus. Vide praeter alios tunc citatos, Vorstium in *Antibellarm.* pag. 608. ubi, *Licet*, inquit, *alii imputationem iustitiae Christi, h. e. morte & passione Christi comparatae, ab hac peccatorum remissione, tanquam rem diversam, interdum distinguant. tamen plerique doctores (evangelici) id non faciunt, & qui faciunt, improprie loquuntur, quatenus una cum formali causa proximam efficientem, seu meritoriam, coniungunt.* Vide etiam p. 611.) non re, sed tantum τὸ λόγῳ differre existimant, ratione sc. terminorum, a quo & ad quem, ut Chamierus de *Justif.* lib. 22. cap. 15. n. 21. Pareus, Vorstius, Joh. Gerhardus L. de *Justif.* n. 197. 198. aliique plurimi, licet in illos hoc argumentum retorqveri non possit, ut in alios; falso tamen (Pag. 86.) justificationem sola peccatorum remissione, seu imputatione iustitiae definiunt, sicut abunde demonstratum est. *Fides justificans*, juxta plerorumque Protestantium sententiam, notitiam & assensum in intellectu, & simul fiduciam in voluntate includit, unde eam non esse habitum unum numero simplicem absolute, sed aggregatione tantum, confiteri coguntur. Vide praeter alios *Synopsin purioris theol. disp.* 31. th. 16. *Formam peccati originalis* Protestantes permulti, ut de Romanensibus nihil dicam, constituunt in imputatione primi peccati Adami, & iniustitiae originalis carentia, atque etiam in positiva quadam prava inclinatione vel proclivitate ad omne malum; quae tria

tria multum inter se differunt. *Formalem rationem sacramenti* Protestantes omnes doctiores cum Romanensibus constituunt, non solum in significando, sed etiam in sanctificando, instrumentaliter scilicet. At significare & sanctificare res sunt diversorum praedicamentorum; illa relationis, haec actionis. Protestantes, qui communiter *Christum secundum utramque naturam mediatorem esse* contendunt, consequenter docent & docere coguntur, formalem rationem mediationis illius non tantum in merendo, sed etiam in donando Spiritum S. positam esse: quæ tamen actiones sunt toto genere differentes; sed necessario, juxta illorum sententiam, conjunctæ, ad munus mediatorum perficiendum.

II. Objicitur, *scripturam justificationem a sanctificatione aliquando distinguere*, Rom. 6. 22. 1. Cor. 1. 30. & rursus cap. 6. v. 11. Apocal. 22. 11. Resp. cum A. Vega de Justif. lib. 15. cap. 5. An propter unum aut alterum locum, in quibus justificatio a sanctificatione distinguitur, contra communem scripturae sensum omnibus fere in locis, & Patrum consensum, verbum & rationem totam justificationis ad solam peccatorum remissionem restringere, aequum est? Sed singulos, age, qui objiciuntur, locos paucis excutiamus. Rom. 6. 22. dicitur: *Nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo.* Haec, inquirunt, est justificatio nostra. Porro: *Habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Haec, ajunt, sanctificatio nostra, est justificationis fructus. Sic vir quidam, alioqui

doctissimus, locum hunc apostoli intelligit, tract. quodam de Justif. Sic & cum illo alii. Sed nae omnes hi male locum intelligunt: Nam *liberatio a peccato* hoc loco non significat liberationem a solo peccati reatu, in qua illi totam justificationis rationem constituunt, (Pag. 87.) sed liberationem etiam a dominio peccati, cui Romani antea serviebant; sicut clarissime patet ex verbis praecedentibus 19. & 20. & verbis immediate sequentibus *servi autem facti Deo*, seu mancipati Deo, vel, ut prius dixit, *servi facti iustitiae*. In hisce autem, *habetis fructum vestrum in sanctificationem*, hebraismus, & hic sensus est: ipsam sanctificationem sive sanctimoniam, vitaeque munditiam, ejusque continuationem & incrementum, velut fructum, ex illa servitute Dei & iustitiae capitis seu habetis. Ad 1. Cor. 1. 30. ubi *Christus* dicitur *esse nobis factus a Deo sapientia & iustitia & sanctificatio*, respondetur, apostolum vel rem eandem diversis ibi iustitiae & sanctificationis verbis significare, (quod S. scriptores saepe sine tautologia facere consueverunt, ut neminem latet) ad rem ipsam plenius & disertius exprimendam; vel, si distinctae significantur res, quemadmodum quidam veteres & recentiores interpretes exponunt, intelligere eum *iustitiae* nomine remissionem peccatorum, & per *sanctificationem* id, quod communiter sic appellatur. Equidem Chrysostomus non satis plene & clare hanc in sententiam loquitur, neque etiam Theodoret, secta toris Chrysostomi, & Theophylacti, ejusdem

dem abbreviatoris, atqve Oecumenii verba satis sunt expressa, at Bernardi expressissima serm. 22. in Cant. illud tamen inde tantum colligi potest. hoc loco *justitiae* verbo non totum justificationis nostrae beneficium intelligi, sed nomen totius, praecipuae ejusdem parti, altera non exclusa, sed diserte expressa, κατ' ἐξοχήν tribui; quod non raro aliis etiam in rebus in scriptura fieri solet. Ad locum tertium 1. Cor. 6. 11. respondemus, vel rem eandem diversis *ablutionis*, *sanctificationis*, & *justificationis* verbis, ad majorem emphasin, & beneficii per Christum accepti amplificationem, significari & efferri; quemadmodum & supra pag. 63, 64. ex ipsis Protestantibus, Zanchio, & Bullingero, observavimus; vel, si distinguenda sunt ista, distinctionem tantum partium & totius admittendam esse, ut sensus sit: Ab his omnibus vitiorum sordibus abluti atqve mundati estis baptismo, per quem omnia vobis peccata remissa sunt. At ne (inquit Estius in h. l.) in sola ablutione, i. e. peccatorum remissione consistere putaretur justitia christiana, addit alterum gradum, vel partem. Sed sanctificati estis, i. e. puritatem consecuti, ita ut jam vere & coram Deo sancti sitis. Denique summam beneficii accepti, uno verbo, quod utramque includit partem, exprimendo, ait, sed justificati estis, & subjungit, in nomine D. N. J. C. i. e. per meritum ejus, & in spiritu Dei nostri i. e. virtute Spiritus S. a Deo nostro procedentis, & nobis per Christum communicati. (Pag. 88.) Ad locum Apoc. 22. 11. resp. verba, *Qui justus est*, non significare,

ficare, qvi tantum per remissionem peccatorum iustificatus est, sed, qvi nemini nocet, & unicuique reddit, qvòd suum est, ut recte notat in hunc locum Fr. Ribera : *iustificetur adhuc*, i. e. hic agendo pergat & proficiat : & *qvi sanctus est*, i. e. purus & sine sordibus, *sanctificetur adhuc*, i. e. sic pergat, &c. Nam apostolus hoc loco *iustum* opponit τῷ ἀδίκῳ, *ei, qvi injuste agit*, vel alterum injuria afficit, & *sanctum* τῷ ῥυπαρῷ, *sordescenti*, vel qvi in sordibus est, nulli sc. nisi sibi ipse nocens, ut clarissime patet ex textu, & ut, praeter Riberam aliosqve multos, agnoscit Piscator. Ita, ut turpiter erret Pareus, qvando l. 2. de Justificatione contra Bellarm. cap. 3. pag. 398. 399. inquit : *Qvi iustus est, iustificetur adhuc*, i. e. *in iustitia fidei perseveret. De infusione nempo vel de incremento habitualis iustitiae non potest intelligi sine manifesta tautologia membri sequentis* : *Qvi sanctus est, sanctificetur adhuc.*

III. Ex cap. 4. 7. ad Rom. frequentissime obijcitur, apostolum ex Davide justificationem, seu τὸν μακαρισμὸν, i. e. *beatitudinem, vel beatificationem peccatoris*, in sola remissione peccatorum collocare. Sed respondemus : Nae illud magni momenti non est. Nam & illi Protestantes, qvi justificationem non sola peccatorum remissione, sed etiam imputatione iustitiae Christi constare contendunt, negant, verbis his, quae apostolus ex Davide citat, totam justificationis rationem plene exprimi. Beza in Qvaest. & Resp. qv. *Atqvi*

Atqui David collocat beatificationem in peccatorum remissione. Cur igitur adjicis etiam Christi impletionis legis imputationem? R. Quid si tibi, inquit, abjiciam illa, Beati, qui sunt mundo corde; Beati, qui sunt inculpati in via, & cætera ejusmodi, an hinc colligeres, excludi peccatorum remissionem? Nequaquam, opinor. Sic interdum nomine justificationis intelligitur etiam sanctificatio; quoniam hæc duo prorsus cohaerent. (Pag. 89.) Quidni igitur illud quoque responderim, unius peccatorum remissionis interdum mentionem fieri, non ut excludantur aliae beatificationis partes, sed quod tacite cum illa comprehendantur? Videatur & Synopsi theol. purioris, disp. de Justif. th. 8. Sic & nos respondemus, non sequi ex verbis Davidis ab apostolo citatis, beatitudinem seu justitiam hominis in sola peccatorum remissione, seu justitiae imputatione consistere, cum alibi idem psalmista beatos pronunciet immaculatos in via, qui ambulant in lege Dei, quique custodiunt, judicium, & faciunt justitiam. Ps. 1.1. & 119.1 & 106. 3. Et hoc ipso ps. 32. post verba ab apostolo citata, *Beatus homo, cui non imputat Deus iniquitatem*, v. 2. addit David, *Nec in spiritu ejus dolus est*, i. e. homo recti cordis est, ut dicitur ultimis illius psalmi verbis. Itaque nomine remissionis peccatorum, tota hominis sanctificatio seu renovatio comprehensa debet intelligi. Nam propter arctissimam utriusque partis conjunctionem, quia nunquam fit remissio peccatorum sine internæ mentis sanctificatione, una alteram sæpe synecdochice

doctrice complectitur, & remissio quidem peccatorum, κατ' ἐξοχήν saepe, cum in scriptura, tum in Patribus nominatur. *Hic est omnis fructus, ut auferatur peccatum.* Jes. 27. 9. vel 11. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi.* Joh. 1. 29. *Hic servabit populum suum a peccatis eorum.* Matth. 1. 21. Sic & 2. Cor. 5. 21. & in compluribus aliis scripturae locis, Bernhard. serm. 22. in Cantic. *Factus est nobis sapientia, justitia, &c.* Sapientia inquit, in praedicatione, justitia in absolutione peccatorum. Et infra: *Delicta juventutis meae, & ignorantias meas ne memineris, & justus sum.* Et serm. 23. in Cant. *Sufficit mihi ad omnem justitiam, solum habere propitium, cui soli peccavi.* Et paulo post: *Non peccare, Dei justitia est; hominis justitia, indulgentia Dei.* Et rursum: *Justitia Dei est, non peccare; justitia hominis est, non imputari peccatum.* Et epist. 190. ad Innocentium papam, p. 229. *Ubi reconciliatio, ibi remissio peccatorum. Et quid ipsa, nisi justificatio?* Ecce, pius Bernhardus sentit, κατ' ἐξοχήν justificationis verbum, cum in scriptura tum in Patrum scriptis, remissioni peccatorum saepius tribui, secutus clarissima Augustini verba lib. 19. de Civit. Dei cap. 27: *Ipsa quoque nostra justitia, quamvis vera sit, propter veri boni finem, ad quem refertur, tamen tanta est in hac vita, ut potius peccatorum remissione constet, quam perfectione virtutum.* Pag. 90.) Quibus verbis haec duo sanctissimus & doctissimus ille pater docet: 1. Justitiam nostram constare, i. e. justos nos esse, cum remissione peccatorum, tum perfectione virtu-

virtu-

virtutum, qualis scilicet statui hujus vitae convenit :  
 2. Sed longe remissionē peccatorum perfectioni  
 virtutum praeferendam. Prius illud sensit Au-  
 gustinum hoc loco, ut & plurimis in aliis, inge-  
 nue agnoscit Chamierus de Justif. l. 21. c. 19. n. 7.  
 3. *Non excludi virtutes, nos agnoscimus; quiscimus,  
 & alias testati sumus, Augustinum uno justificationis  
 nomine utramque partem comprehendere, i. e. tum  
 quam nos proprie justificationem dicimus, tum sancti-  
 ficationem. Et hactenus non Pseudodoloyei jesuita.*  
 Sed male Pareus de Justif. l. 2. c. 13. p. 540-541. *Glossa  
 adversarii, inquit, de justitia divisa in remissionem  
 peccatorum & perfectionem virtutis, haud dubie est  
 falsa. Manifestum enim est, Augustinum remissio-  
 nem peccatorum & perfectionem virtutis, non ut par-  
 tes unius justitiae componere, sed ut res disparatas op-  
 ponere. Sed vix major Augustini verbis a quo-  
 quam vis inferri potuit. Posterius Bellarminus  
 ipse fateri cogitur de Justif. lib. 2. c. 13. scribens :*  
*Illud potius hoc loco non excludit perfectionem virtu-  
 tum, sed praeponit remissionem peccati, ut sensus sit,  
 justitiam nostram, quae partim in remissione peccati,  
 partim in perfectione virtutum sita est, magis illa,  
 quam hac constare. Et quidem duplici assigna-  
 ta ratione, cur id dicat Augustinus : Quia pecca-  
 ta in baptismo perfecte delentur & purgantur, ut nihil  
 omnino remaneat, quod habet rationem culpae; virtutes  
 autem infusae, ita suo quodam modo perfectae sunt, ut  
 quotidie magis ac magis perfici debeant. 2. Quoniam  
 remissio peccati semel facta, non eget nova infusione vir-  
 tutum. At virtus semel infusa, eget quotidie nova*  
 remissio-

*remissione peccati, non lethalis, quod cum iustitia si-  
mule esse non potest, sed venialis. Eadem legere est  
apud Leonard. Coqvæum, in suo Comment. ad  
locum Augustini citatum, ex Bellarmino verba-  
tim exscripta. Videtur tamen Bellarminus illo  
eodem l. 2. de Justif. c. 6. sibi contradicere, quan-  
do sic inquit: Hic (Rom. 4. 25.) apostolus  
Pag. 91.) nomen justificationis potius tribuit reno-  
vationi internæ, quam remissioni peccatorum, ac  
per hoc docet, justificationem non modo non constare  
sola remissione peccatorum, sed neque præcipue ea con-  
stare. Mentem B. Augustini hoc in loco optime  
vir doctissimus & optimus Lud. Vives in Com-  
ment. sic expressit, inquit: Magna nempe ex  
parte sumus boni; non quod bene vivimus, sed quod  
eommisforum scelerum nobis sit a Deo gratia. Joh. Hef-  
sel. super Matt. 6. 12. Hujus vitæ iustitia præci-  
pue (ut ait Augustinus de C. D. l. 19. c. 27.) in remis-  
sione peccatorum consistit. Vide eundem in expli-  
catione Symboli apostolici p. 37. Hac ergo (scilicet  
remissione peccatorum) tanquam præcipue expre-  
ssa, subintellexerunt apostoli, &c.*

IV. Ex multis scripturæ & Patrum testimoniis  
objicitur, inhaerentem nostram iustitiam in hac vitâ  
imperfectam esse, & multis permixtam peccatis, ac  
proinde divinum iudicium sustinere non posse,  
nec nos per illam formaliter justos in Dei iudicio  
cenferi. Resp. Loca, quæ contra adducuntur,  
fere omnia ad iustitiam actualem, seu operum no-  
strorum potius spectare, quam ad iustitiam a Deo  
donatam seu habitualement, quæ non est nostrum,  
sed

sed Dei opus, (licet in nobis receptum) qui simul peccata remittit, & dona fidei, spei & charitatis infundit. Vnde & infantes nuper baptizati, vere coram Deo iusti sunt, licet nihil operis fecerint. Idcirco nos hanc disputationem de imperfectio-  
ne iustitiae nostrae, in sequentia rejicimus, ubi de iustitia operum, Deo juvante, pluribus differe-  
mus. Quod si etiam imperfectio illa, quae in ipsis donis Spiritus S. nobis in justificatione com-  
municatis inest, quamdiu nos hic vivimus, & illa in nobis augeri possunt, atque etiam debent, pro-  
prie peccatum est, (Augustinus enim certe *vitium* & *peccatum* non veretur appellare, \* epist. 29. ad Hieron. *Plenissima charitas, quae jam non potest augeri, quam diu hic homo vivit, est in nemi-  
ne; quamdiu autem augeri potest, profecto illud, quod minus est, quam debet, ex vitio est: ex quo vitio non est, qui faciat bonum, & non peccet.* Et lib. de Perfect. iustitiae cap. 15. *Peccatum, inquit, est, cum vel non est charitas, quae esse debet, vel minor, quam debet.* Sed an largo tantum modo peccatum appellet, ut Romanenses com-  
muniter, atque etiam Protestantes quidam do-  
ctissimi volunt, aliis etiam ad suam sententiam confirmandam ex ipso Augustino locis prolatis; an vero etiam proprie, ut alii sentiunt, pag. 172. dicemus) Pag. 92.) sententia tamen, quam nos astruximus, nihil inde laeditur, qui cum dona-  
tione iustitiae semper remissionem peccatorum conjunximus, atque non per illam solam, sed  
etiam

\* Epist. 29. ] pag. 115. edit. Reinhart.

etiam per hanc, immo per hanc potius, ut jam dixit Augustinus, *formaliter nos justos coram Deo nominari & esse*, contendimus.

Multa sunt, de quibus etiam inter Romanenses ipsos de causa formali justificationis nostrae disputatur, (ut, *An per habitus virtutum infusos iustificemur, ut volunt permulti? vel, an perpetua Dei motio & operatio in nobis sit illud, quo iustificamur? an vero horum neutrum praecise, sed ipsa mentis & voluntatis rectitudo, ex utrisque resultans, sit formalis nostra iustitia? & denique, an iustitia, qua formaliter iustificamur, sola habitualis sit, an actualis, i. e. opera vere iusta?*) & quaedam alia, de quibus videantur Staplet. de Justificatione l. 5. c. 8. Bellarm. de Justif. l. 2. c. 15. & 16. Suarez, Vasquez, aliique id genus scriptores plurimi, viri certe doctissimi, sed in dogmatibus fidei, quae simplicitatis plena sunt, eamque maxime amant, discutiendis saepe nimio plus subtiles, ne dicam audaces. Proinde, illis aliisque omnibus, ab instituti ratione alienis, missis, huic libro hunc terminum ponentes, ad alia inter partes controversa transamus. Deus veritatis & pacis coeptis adspiret.

Ad